DE

LACTUCA SATIVA ET LACTUCARIO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS LUDOVICUS GANZEL

PUTLITZIO - PRIEGNITIUS.

H. L. Q. S.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

VIRO

AMPLISSIMO VERSATISSIMO

F. LUD. SCHULTZE

SENATORI PERLEBERGENSI

HUJUSQUE URBIS PHARMACOPOLAE

AMICO FAUTORIQUE SUO DIGNISSINO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

More majorum institutoque, ab iis, qui summos in medicina honores ambiunt, ut dissertationem de materia aliqua conscribant, vel inventa ab ipsis, vel accuratius quoddammodo pertractata, postulatur, utpote qua specimen et ingenii et industriae ad artem medicam adhibitae, exhibeant. Quem et ejo morem vetustissimum, tentamine medico examineque rigoroso rite absolutis, observaturus eram, quamvis minime me fugeret, in rebus pertractandis et disputandis me esse parum versatum animique vires tenuiores, quam ut ipsam medicinae artem possem augere disquisitione qualicunque. Hujus rei conscius, qui huncce legent, eos, ut indulgeant mihi etiam atque etiam rogatos velim. Oleum tamen et operam haud plane perdidisse, mihi persuadebo, si judices amplissimi doctissimique non sine industria ac diligentia hoc opusculum conscriptum esse agnoverint.

Aliquamdiu nihil habebam, vel potius dubitabam de quo scriberem, propterea quod fugere studebam

Introductio.

Ex Lactucarum genere hucusque duae tantum species in usu medicorum erant, Lactuca virosa et Lactuca Scariola, quam cel. Hayne in libro suo de plantis medicinalibus *) exactissime descripsit. Ex his medicamina parari efficacissima experientia satis edocuit, quamvis medici ad earum vires et effectus perscrutandos non talem dederunt operam, quali opus fuisset. Has vero plantas plane praetermittere mihi liceat, et, quod earum contemplatio opusculi mei limites longe egrederetur, quae de iis in notitiam medicis venerunt, facile in quoque de materia medica compendio evolvi possunt. Apud Graecos et Latinos et Lactuca Sylvestris in usu fuit. Recentioribus quoque temporibus Collin **) medicus Viennensis, praecipue contra hydropem eam commendavit, tamen ad usum communem non pervenit.

Geoffroy in materia medica sua, de Lactuca Sylvestri ita habet, „amarior est, quam Lactuca

*) tomo I, 47, 48.

**) Collin Lactucae Sylvestris contra hydropem vires. Viennae 1780.

Sativa, majori copia lactis repleta, olei et salis urinosi majorem copiam retinet. Sal essentiale nitroso vitriolosum ei inesse videtur. Quoad vires Lactucae Sativae aequat, validius vero alvum solvit et purgat: somnum conciliat". Cum praesertim haec vis somnum conciliandi et salutaris illa anodyna ac sedans, quae Lactucae Sativae tribuitur, ex uno eodemque principio repetendae sint, haud supervacaneum mihi videtur, an fortasse Lactucae Sylvestri plus quam Sativae hujus principii insit, inquirere. Hocce opusculo tantum Lactucae Sativae indolem et vires in animo mihi est contemplari, ejusque disquisitionem non prorsus frustraneam futuram esse, spero.

Lactuca Sativa, germanice Lattich, Latsche, Salat, Schmalzkraut, graece Θριδαξ anglice lettuce, gallice laitue, planta est classis Syngenesiae Aequalis. Lactucae nomen gerit a lacteo quem fundit succo. Nonnulli quidem hoc nomen ab ejus, lac mulierum lactantium augendi vim, deducunt; cum vero haec vis admodum dubia videatur, illam etymologiam praeferre malim. Patria hujus plantae ignoratur. Nunc omnibus omnium regionum in hortis colitur.

Descriptio Latucae Sativae.

(Wildenow spec. plant. tom. III. pars III. genus plant. n. 1404. pag. 1523).

Radix annua, caudicalis, perpendicularis, fibrillas plurimas exserens.

Caulis erectus, teres, ramosissimus, corymbosus vel corymboso-paniculatus, leviter striatus, glaber, solidus, aeque ac omnes florentis plantae partes lactescens, bipedalis et altior. Rami compressiusculi, inanes, patentes; ramuli divergentes-patentes.

Folia alterna, sessilia, amplexicaulia, setaceo-denticulata; inferiora oblongo-ovata, repanda, subcostato-venosa, carinata, carina inermi; superiora et ramea cordata, conduplicato-venosa,

Flores compositi, corymbosi vel corymboso-paniculati.

Cal. Perianthium cylindraceum, imbricatum, squamulis margine membranaceis.

Coroll. Composita, uniformis, subimbricata. Corollulae hermaphroditae plures aequales.

Propria monopetala, ligulata, truncata, quinquedentata.

Stam. Filamenta quinque, capillaria, brevissima; anthérae lineares in tubum cylindraceum conatae.

Pist. Germen ovato-oblongum, compressum. Stylus filiformis longitudine staminum.

Per. Nullum. Calyx persistens connivens, ovato-cylindraceus, semina includens.

Sem. Solitaria, ovato-oblonga, compressa, longitudinaliter striata. Pappus pilosus, hispidus, stipitatus.

Recept. Nudum.

Lactucarum in hortis cultarum species sunt tres: L. Sativa; L. crispa Roth; L. palmata Willd.

An hae tantum varietates? Sed e seminibus educatae constantes manent Willd.

Historia Lacutae Sativa.

Lactucam Sativam olerum nostrorum esse suavissimum, variaque ex ea cibaria parari, neminem fugit. Eliguntur folia tenella in globosam formam congesta, antequam caulescat stirps, resecta; sensim enim ex lacteo quocum repletur succo, amarescit planta. Jam apud Veteres inter olera praecipuum eam obtinuisse locum, multi scriptores testantur. Non solum vero pro alimento suavissimo, sed saluberrimo etiam habebatur. Praesertim ob ejus somnum conciliandi et sanguinis aestum mitigandi vim praeprimis usitata eis erat. Quam ob rem Lactuca coenas claudere solebant. Domitiani vero temporibus hic eo mutabatur ordo, quod initio coenarum ederetur, quocirca Martialis libro XIII. Epigramm II. dicit:

„Claudere quae coenas Lactuca solebat avorum
Dic mihi, cur nostras inchoet illa dapes?“

Virgilius adducit:

„Grataque nobilium requies Lactuca ciborum.“

Galenus de ea prodit:

„Lactuca sativa humidum est, frigidumque olus, non tamen extreme verum maxime secundum aquae, ut sic dicam, fontanae frigiditatem: proinde ad calidas phlegmonas accommodum est, et ad parva et levia erysipelata: non tamen mojoribus satisfacere idoneum est. Est etiam edulium sitim arcens. At semen potu geniturae profluviun colibet, quam ob

rem etiam iis qui libidinosis vaxantur somniis datur." Alioque loco:

„Etenim in juventute, quoniam assiduo os ventriculi bile effervescebat, aestus moderandi gratia Lactucis utebar. — Cum autem ad provectam aetatem pervenissem, olus hoc contra quam in juventute, somnum jam studio, et industria accersenti mihi, auxilio fuit. Quippe qui etiamnum juvenis lucubrandi gratia vigiliis dedito opere me assuefeceram, declinante jam aetate, ipsa ex se insomni, gravius hoc incommodo molestebar. Ad versus quod unicum mihi praestantissimum remedium Lactuca vespere commenducata semper fuit."

Dioscorides:

„Lactucae sativae quibus natura refrigeratrix inest, stomacho gratae habentur, somnum conciliant, alvum emolliunt, lac evocant, verum decocta magis alunt. Stomachicis illotas esse prodest. Epotum semen assiduas libidinum imaginationes in somno compescit et veneri refragatur. Ipsae vero frequentiores in cibo, claritati oculorum officiunt: inflammationibus et ignibus sacris opitulantur. Muria condiuntur. Cum in caulem exierint, vim quandam nanciscuntur succo aut lacti sylvestris Lactucae similem.

Eob. Hessus in libro de bona valetudine:

„Hortorum Lactuca decus: quia friget et humet
Saepe leves somnos conciliare solet,
Atque ut corporibus reliqua omnia vincit alendis
Sic vivi succus sanguinis inde venit."

Nonnulli, inter quos etiam Dioscorides est, Lactucam coctam facilius digeri, magisque nutrire,

contenderunt, sed contra alii sunt, qui, coctam nimiam partiam fluidarum copiam recipere, censeant, quod ventriculnm laxare et debilitare consueverit. *) Hippocrates usum Lectucae coctae incongruum inter cholerae causas refert. Libro VII. Eqidem, „Lactucam esse frigidissimam sed crebrius usurpatam imbecillitatem quandam inferre corpori" affert.

Alii vero usum modicum Lactucae tam crudae quam coctae salutarem esse traduntur.

In usu Lactucae medico Veteres praecipue ad ejus vim soporiferam, unde Graecis ὑπνώδης dicta est, et refrigerantem spectabant.

Quando aegroti jamjam convalescentes molesto pervigilio laborabant, Lactuca cis dabatur. Luc. Ian. Columella ita habet:

„Iamque salutari properat Lactuca sopore
Tristiaque relevat longi fastidia morbi."

Celjus Lib. II. cap. XXXII:

„Somno vero aptum est: papaver, Lactuca maxime aestiva cujus cauliculus jam lacte repleta est."

Lactucis quoque ad alvum solvendam frequenter utebantur. Martialis Lib. II. LIII:

„Prima tibi dabitur ventri Lactuca movendi
Utilis" — — —

Et rursus alio loco:

„Utere Lactucis et mollibus utere Malvis."

Hujus facultatis causa temporibus quoque senioribus, malo hypochondriaco gravatis Lactuca por-

*) Nonnius de re cibaria.

Simon Pauli in deliriis, phrenitide, febribus acutis, lintea in aqua Lactucae, in qua Nitrum crystallisatum solutum esset, tincta, temporibus, capiti, artubus manibusque, imponenda suasit. Hujus vero remedii effectum prosperum magis Nitri virtuti refrigeranti, quam Lactucae succo adscribendam esse, existimo.

Aliae adhuc vires Lactucae interdum variis a scriptoribus tributae sunt:

Sibbaldus in prodromo Hist. Nat. Scotiae p. XXXIV haec habet:

„Ab omnibus quidem auctoribus Lactuca pro refrigerante habebatur, nihilominus observatum fuit, latitare in ea aliquid, quod venerem stimulare possit.“

A nonnullis commendatur feminis sterilibus praesertim iis, quae calorem praeter naturam sentiunt! Iunonem ab Apolline ad convivium vocatam atque inter alias epulas agrestes fuisse Lactucas: Has ubi comedisset, cum antea fuisset sterilis, factam fuisse gravidam et Heben filiam peperisse, in mythologicis traditur.

Ab aliis contra, usum Lactucae continuum non solum foecunditatem tollere, sed etiam efficere, ut infantes inter hunc usum geniti, stupidi fierent, affertur, unde Pythagoraei hancce herbam ȣχιον spadonium et mortuorum cibum nominaverint.

„Abstinentia a vespertino Lactucae sibi jucundissimae usu a Lobelio, Anglo cuidam illustri commendata, fertur ille, antea improlis, intra annum graviditate conjugis exhilaratus.“ Contraria hisce videtur

detur foecunditas egenorum, qui per aestatem vix alia quam Satua ex Lactuca, coena utuntur.“ Murray appar. medicamin. tom. I. p. 108.

Matthiolus ita habet:

Testiculis illitus nocturnas pollutiones compescit, et seminis profluvium, et praesertim addito caphurae momento, sed veneri restringit. Cavendus autem Lactucarum usus suspiriosis, sanguinem exscreantibus, pituitosisque, sed iis maxime qui procreandis liberis dant operam“.

Dioscorides de Lactucae seminibus retulit, vim Venerem restringendi cis inesse:

„Semen Lactucae Veneris ludibria tollit

Cum vino bibitum fluxum quoque comprimit alvi.“

„Ex seminibus elicitur etium. cum aqua stillatitia rosarum, cujus partem cum jusculo aut vino datur mane per aliquot dies magno cum successu contra pertinacem fluxum gonorrhoeae.“ Camerar. Hort. med. pag. 28.

Recentioribus vero temporibus Lactucae sativae usus in medicina fere prorsus neglectus est.

De Lactucario.

Lactucarium est spissatus in spiritu vini diluto solutus, iterumque inspissatus succus lacteu- Lactucae sativae. Sic paratus extracto ex rubro fucco simillimus est. Saporis est amari, non absque omni aromate. Odoris paullulum narcotici, opio persimilis. Humores ex aëre vehementer attrahit. Ex ejus solutione aquosa mox partes resinosae excernuntur.

Supra jam dixi, primam hujus remedii notitiam Dr. Cox Philadelphino et Andreae Duncan Edinburghensi, esse debendam. Qui viri experimentissimi remedium invenire studebant, quod opii vicibus, quoad ejus vim sopientem et sedantem fungi posset. Saepissime enim animadverterant, opium non semper et omnibus rerum sub conditionibus a quibusdam ferri constitutionibus, et idiosyncrasiam his aegrotis esse, qua fieret, ut fere semper effectum molestum, v. c. gastrodyniam, obstructiones alvi, stuporem, sanguinis congestiones cet. inde experirentur. Non ignotum eis erat, omnibus fere plantis, succum lacteum continentibus, eandem vim quodammodo inesse, quae opii est propria.*)

Observatum fuit paucas esse plantas, quae majorem hujus succi lactei copiam ederent, quam Lactuca Sativa. Ab hoc inde tempore Andreas Duncan operam dedit, ut methodum inveniret idoneam, qua Lactucae succum ita sibi pararet, ut ad usum medicum adhiberi, observationesque de eo paulo exactius institui possent.

---

*) Hoc vero minime ab omnibus succum lacteum gerentibus plantis valere, ex Alex. de Humboldt observatione quadam elucet, qui in Aragua Americae meridionalis provincia, arborem, ibi palo de vaca, (Kuhbaum) dictam, se vidisse affert, cujus cortice insciso succus lacteus profluxerit, quo illius regionis incolae alimenti loco magnaque cum voluptate uterentur. Isis Iahrgang 1818. 3t. Heft. pag. 473. etc.

Quam ad hunc fere modum praescripsit: Plantis ad pedis circiter altitudinem evectis, apex longitudine pollicari, resecatur. Statim succus lacteus ex ostiis vasorum lactiferorum effluit, et planum vulneratum inducit. Initio albi hic succus est caloris, postridie autem in crustam fuscam vertitur. Haec crusta cum exigua caulis parte abscinditur, quod eadem in planta singulis quibusque diebus repetendum est. Omnia quae abscissa sunt, in phiolam mittuntur et spiritus vini et aquae destillatae partibus aequalibus superfunduntur. In hoc liquore magna illius crustae pars solvitur. Saturatam et filtratam hanc solutionem, Duncan „solutionem spirituosam succi spissati Lactucae" denominavit, Ut vero formam dosi difinitae aptiorem obtineret, evaporatione liquorem ad siccitatem perduxit, ac resiccato succo Lactucarii nomen dedit.

Ex meis observationibus qualibuscunque modo descriptam methodum, omnium hucusque esse praestantissimam, persuasum mihi habeo. Nonnulli nempe succum dum effluerет, spongia quadam recipiendum, tum exprimendum suaserunt. Hujus methodi, etiam a Pharmacopoea Londinensi edit. Thomson 1818 probatae, auctor est John Young, chirurgus Edinburghensis. Succum autem ob exiguam copiam et tenacitatem ex spongia non sine ipsius depravatione obtineri posse, cuique patet. Sectionibus quoque transversis, quas in caulem defoliatam instituі, succum ut opium prolici solet, recipere, tentavi. Sane succi aliquid effluit, sed mox ipse ostia vasorum resectorum obturat, sic, ut nihil succi am-

plius effluere queat. Quod vero ex incisura unica effluit, adeo exsiccatur, ut in caule vix reperiri possit.

An fortasse Angli, qui magnas Lactucarii copias venditant, alio modo commodiori hoc sibi parent medicamentum? mihi nondum innotuit. Duncan tantum, ex nonnullorum hortulanorum opera sperandum esse, fore, ut in Anglia majores ejus copiae parentur, affert.

Lactucae sativae exploratio chemica.

I. Succi ex integra planta expressi examen.

Succus ex taleolis ac foliis plantae integrae ejusdem que florentis expressus, postquam adeo fervefactus erat, ut ebulliret, quod aquosis in humoribus octogessimo scalae Reaumurianae gradu fieri constat, sedimentum demisit viride, ex resina viridi, albumine nec multa materia extractiva compositum. Liquor residuus curiose colatus ad hunc ferme modum se habuit: Admixto ferro muriatico oxydato soluto viridem colorem induit satis omnino vegetum, posteaque sedimentum deposuit ex griseo viride, quod quidem materiae extractivae narcoticae proprium est.

Baryta muriatica et Argentum nec minus sales e plumbo sedimentum praecipitarunt ex parte tantum in acido nitrico solubile, unde Acidum tam sulphuricum quam muriaticum adesse, facile licuit.

Kali oxalicum calcariam oxalicam excrevit. Ammonium carbonicum Calcariam carbonicam indicavit.

Ammonium causticum non ita multum post quam instillatum erat, sedimentum dejecit viride, morphii, ut videbatur, indicio, quod, utrum adfuerit, paulo infra exponam, de Lactucario verba facturus, cui largiori copia haec materia inest.

His exploratis, liquorem reliquum in balneo maris ad syrupi spissitudinem redactum, spiritu vini mero examinavi, quo affuso, materia extractiva gummosa, sub forma sedimenti pulverei fundum petiit, quod spiritu vini iterum iterumque ablutum colando separavi. Hoc in aqua destillata soluto, pulvis quidam remansit, ex acido muriatico et nitrico solubile, ex quorum solutionibus Kali oxalicum solutum et Ammonium carbonicum Calcariam oxalicam et carbonicam praecipitarunt.

Reliquum liquorem evaporando ad materiam extractivam resinosam redegi, in aqua stillatitia ex parte solubilem, remanente materia extractiva oxydata. Ipsa solutio examine chemico subjecta, perinde se habuit, atque de recenti Lactucae succo exposui *).

Praeterea materia extractiva gummosa nonnihil calcariae sulphuricae solutae retinet.

*) Cacaria ut videtur ipsa in planta, inque succo ejus recenti, materiae extractivae tanquam acidonupta, salem exhibet, in aqua succi solutum, cujus evaporatione affinitas, quae inter calcariam et materiam extractivam intercedit, tollitur.

II. Succi lactei ex planta vulnerata sponte prostillantis examen.

Succus Lactucae Sativae lacteus ad aërem siccatus colorem ostendit pallide fuscum, neque servatus putrescit, nec humiditatem ex aëre circumfuso attrahit.

Resiccatum ex spiritu vini graduum 82 iterum atque iterum digessi, usque dum liquoris calor ex toto evanesceret. Ipsum vero liquorem singulis vicibus adhuc calentem colavi. Jam ex spiritu refrigerente materia quaedam in granulis rotundis secessit, quae curatiori subjecta examini cera videbatur. Qua deposita spiritus iterum ad dimidiam usque partem evaporatus, iterum ceram larga copia demisit. Reliquus liquor resinam ostendit cum materia extractiva resinosa.

Aether plane merus ex succo siccato haud ita multum cerae recepit, quam vel affusa aqua praecipitare ex ejusmodi solutione, vel evaporando obtinere, facile licet.

Aqua stillatitia succum siccatum ex parte solvit, cujusmodi solutio materiam extractivam et resinosam et gummosam continet; nec minus salium tam muriaticorum quam sulphuricorum vestigia ostendit. Commodissime autem et integerrime resiccatus Lactucae succus ex spiritu vini aquoso solvi videtur, qui tincturam ex eo fuscam eamque omnino saturatam repraesentat. Quae quidem tinctura „ evaporando ad siccitatem redacto Lactucarium exhibet.

III. Lactucarii exploratio.

In aqua stillatitia Lactucarium ex parte tantum solvitur. Residua pars, aethere excepta, resiuae non multum demittit, spiritus autem vini ma teriam extractivam exydatam inde recipit. Quod remanet calcaria est. Lactucarium ex aqua stillatitia solutum, materiam extractivam narcoticam nec minus calcariam tam muriaticam quam sulphuricam continet.

Ammonium causticum pulverem ex liquore praecipitavit ex viridi albicantem, quem initio Morphium esse putavi. Ipsum vero pulverem decanthato liquore aqua destillata aliquoties ablutum siccavi. Siccatus colorem retulit ex albo flavescentem, qualem calx usta inque pulverem dilapsa, nec ullum crystallorum similitudinem exhibuit, quos quidem Morphium exactissime representat. Nec aether nec spiritus vini ullum in hunc pulverem effectum habuit. Morphium vero ex utroque liquore solubile est. Solutus autem est ex acidis tam concentratis quam dilutis, quibus in solutionibus, admixtis alcalibus causticis, alcalia et subcarbonica et carbonica demisit. Nullam vero mutationem solutiones ejus ex acidis quibuscunque neutrae Kali zootico et liquore ammonii sulphurati subiere. Ammonii muriatici solutio tepida pulverem ex toto solvit, admixtis vero alcalibus corbonicis plane demisit. Siccus pulvis nec in liquore Kali, nec ammonii caustici solutus, nec ullam ab igne mutationem expertus est.

Quae materiae illius proprietates cum terris et metallorem oxydis comparatae, aliquam tantum cum his similitudinem exhibent. Pulveris ex acido sulphurico solubilitas neque Barytam neque Strontinum neque Calcariam adesse manifestat, ex ammonio vero muriatico, aqua soluto, Magnesiam adesse Aluminam deesse, arguit. Solutionem salinarum ex alcalibus carbonicis decompositio, Barytam abesse manifeste indicat.

Et haec hactenus. Plura enim experimenta instituere non potui, quum exigua tantum illius materiae copia ad manus esset, ejus naturam fortasse alii illustrabunt, quibus sales inde veros excernere contigerit. Morphium vero in Lactuca nullum contineri, ideoque eorum opinionem, qui hujus efficaciam ad illud referunt, prorsus explodendam esse, jam facile patet.

De Lactucarii in corpus animale effectibus.

Ad effectus Lactucarii exactius aliquanto cognostendos haec institui experimenta:

Lactucarii grana quinque cani non nimis magno indita, post horam dimidiam somnum induxerunt, per horam integram et quod excurrit, productum. Experrectum animal perinde alacre fuit, ut antea.

Eundem fere effectum Lactucarii ex aqua soluti grana decem exserere visa sunt, neque pupilla dilatata erat, et canis facile ex somno excitabatur. Nullum quoque granorum quindecim, vel et viginti effectum animadverti a priori differentem. Largiores itaque doses adhibendas esse ratus, hora sexta matu-

tina cani jejuno lactucarii in pilulas redacti scrupulos duos ingessi. Quas cum devorasset mox vomiturire incepit, vixque praeterlapso horae quadrante, liquoquorem viridem, Lactucario perspicue permixtum, evomuit. Aliquanto post decubuit, placideque obdormivit. Brevi experrectus, stragulum non reliquit. Hora septima iterum vomuit, deinde cibum oblatum avide devoravit, ac laete huc illuc cursitavit. Toto abhinc die vomituritionibus quidem laborabat, nihil vero amplius vomitu rejecit.

Experimentum altero die repetitum eundem effectum habuit.

Ipse sumtis Lactucarii granis decem post horam dimidiam somnolentiam expertus haud utique levem mox pristinam alacritatem recuperavi.

Eundem fere effectum .Lactucarii grana viginti habuere, graviorem autem in somnum delationem persentiscere mihi videbar. Pulsus nullam mutationem ostendit, neque capitis dolores inde nactus sum, nec secretionem aliquam auctam esse, sensi.

Lactucarii scrupuli duo somnolentiam induxerunt inexpugnabilem cum nausea haud admodum vehementi quam repetitis experimentis haud amplius sensi. — Majores etiam Lactucarii effectus fuerunt, ad Dr. I. hora $5\frac{1}{2}$ matutina sumti. Vix enim praeterlapsa semi hora somnum inducit profundum ad horam usque 11 productam. In pulsu, vero praeter naturalem quam subit mutationem, scilicet qua matutino tempore aliquanto frequentior est, nihil peculiare animadverti, nec ullam corporis functionem alienari observavi.

Eadem experimenta amicorum meorum nonnulli in se instituerunt, similesque effectus experti sunt. —

Hora octava matutina cani exiguo Lactucarii ex aquae Dr. sem. soluti grana decem in telam cellulosam cruris posterioris, cute interno in latere inciso inieci. Vulnere sutura contracto canis aliquamdiu post expedite cursitavit, deinde vero decubuit, totoque corpore contremuit. Praeterlapsa semihora spiritum difficilius crebriusque duxit, tum obdormivit. Dormientis artus magis etiam intremuere, ac respiratio frequentior visa est. Somno usque sepultus, partes extremas posteriores porrexit, iisque nisus aliquamdiu eadam in positura perstitit. Facile quidem potuit ex somno excitari, statim vero titubans in stragulum recubuit. Paulo post et extrema anteriora multum trementia porrexit. Deinde oculis semiapertis quasi profundissimo somno sopitus adjacebat, dum facies indolentiae stupidae indolem manifestaret, pupilla interim ad lucis irritamentum celeriter respondente. Hora undecima corporis tremor paululum imminutus, tribus horis post plane cessavit, respiratione expedita rariorique. Hora tertia pomeridiana vehementer convulsus, incedere conatus est, sed deficientibus extremis posterioribus iterum iterumque concidit. Convulsionibus post horae quadrantem cessantibus, sine latratu vel ululatu quiete stragulum servavit. Hora quinta partes extremae posteriores adeo erant adhucdum resolutae, ut surgendi facultatem non haberet, quae quidem resolutio ad nonam horam fere cessavit, sic ut cruribus jamjam insistere posset. Quo tempore non multum cibi assumsit.

Mane postridie crure vulnerato jam non utebatur, alterove non nimis expedite incedebat, neque surrexit, nisi excitatus, magno ut videbatur cum la-

His Lactucarium aqua stillatitia solutum adjecerim, quod quidem saporem excitat amarum, non tamen plane ingratum, brevi sane cessaturum, nec minime fauces exasperat.

VITAE CURRICULUM

Ego Carolus Ludovicus Ganzel die mensis Februarii quinto a. MDCCXCIX Putlitziae Priegnitiae oppido, patre pistore, matre e gente Neumannia, natus sum. Tenera jam aetate paternum domum reliqui avo meo Neumanno, civi Perlebergensi, in disciplinam traditus. Ab inde hoc tempore scholam quae Perlebergae floret frequentavi; undecimo vero aetatis anno, postquam avus meus amatissimus supremum diem obierat, eruditissimo Rost hujus scholae Conrectori traditus sum, qui per triennium religiosissimus mihi fuit dux, cuique hic ex animo gratias refero. Tum Berolinum petii, ubi in Gymnasio Joachimico per annum linguis antiquis et doctrinarum elementis operam dedi. Hoc tempore praeterlapso Perlebergam redii ibique per biennium et sex menses arti pharmaceuticae incubui. Dein Berolinum reversus, mense Octobri a. MDCCCXVI hujus almae universitatis civibus rectore cel. Link adscriptus sum, quo ex tempore medicinae studiis operam dedi, et hisce celeberrimorum virorum praelectionibus interfui.

Logicem duce cel. Kiesewetter, Psychologiam duce Ill. Shleiermacher tractavi. Interfui interpretationibus librorum Taciti cel. Boekh. Chemiae et Physices

dotrinas a cel. cel. Turte et Erman, Botanices a cel. Hayne, Zoologiae a cel. Lichtenstein accepi. In Anatomia tam theoretica quam practica neque minus comparata mihi praeceptores fuere Ill. Ill. Knape et Rudolphi. De Angiologia et Neurologia cel. Rosenthal audivi. De Physiologia cel. Osann disserentem audivi. De Chirurgia tam generali quam speciali, Akiurgia deque morbis ossium dynamicis Ill. Graefe de fracturis et luxationibus cel. Kluge lectionibus interfui. Pathologiam et Therapiam generalem et specialem me docuerunt Ill. Ill. C. W. Hufeland et Horn. Febrium. materiae medicae praelectionibus Ill. Berends interfui. Ophthalmiatricen cel. Busse mihi tradidit. Arti obstetriciae tam theoreticae quam practicae duce cel. Kluge operam dedi.

Denique exercitationibus, moderantibus Ill. Ill. Ill. Hufeland Berends et Graefe, adfui clinicis.

Jam tentamine medico examineque rigoroso peractis, spero, fore ut, dissertatione ac thesibus rite defensis, summi in utraque medicina honores in me conférantur,

THESES DEFENDENDAE

I. Lactucarium multis in morbis opio est praeferendum.

II. Succus gastricus et entericus vim habent virus syphiliticum destruendi.

III. Febrem intermittentem morbis nervorum utique accensendam esse, nego.

IV. Vis vitalis una eademque est in omnibus corporis humani partibus.

bore. Cibi parum assumsit. Hora nona vespertina dilitentem inveni, provectis membris, postquam toto die stragulo incubuerat. Videbatur jamjam moribundus. Sublatus atque in stragulum positus mox difficillime spiritum ducere coepit.

Postero mane vivus quidam, sed contractis membris et convoluto corpore adspectum vere miserum praebuit. Spiritum ex difficili duxit et rarius aliquanto, nec ullum emisit sonum. Hora undecima matutina mortuus est. Spuma ante os collecta erat, urinamque sine voluntate reddiderat. Vulnus sphacelosum vasaque ventris superficiaria sanguine turgida, inveni. Uterque cordis ventriculus cum vasis magnis perinde sanguine coagulato, parum seri continente, repleta erant. Pulmones nihil praeternaturale ostenderunt, nec cerebri vasa sanguine abundare videbantur. Tractus intestinorum integer naturaliter se habuit.

Hora septima matutina cuniculo adulto Lactucarii in aquae Dr. II. soluti Dr. sem. in telam cellulosam curis injeci, vulnere perinde atque in cane inflixo. Ad horam usque nonam nullam praeter appetentiam laesam alienationem observavi. Reliquo die quiete desedit, nec multo olere pascebatur. Subinde obdormivit, somnum vero singulis vicibus brevissimum cepit. Vehementiora symptomata nulla observavi, praeterquam quod crure vulnerato non utebatur.

Posterum diem eodem modo transegit.

Tertio autem mane corpore ad vulneratam partem inflexo, usque desidens, vix et ne vix quidem movebatur. Hora nona his illis partibus convelli coepit, ac tandem persistentibus medio fere die ani-

mam efflavit. Protinus post mortem exsecandum curavi, vulnusque inveni sphacelosum ac superficiora ventris vasa perinde sanguine turgentia atque de cane adnotavi. Sinistri cordis ventriculi sanguis dissolutus, dexter sanguine plane vacuus erat. Praeterea nihil inveni praeternaturale, quod adnotatu dignum videretur.

His praepositis facile jam patet:

1) Lactucarium medicamentum esse solam in sensibilitatem efficax, nec minus

2) somnum conciliare, ideoque haud injuria remediis accenseri sedantibus

3) vim vero stupefacientem nullam ei inesse.

4) Idem largiori dosi exhibitum, vomitum elicere, multoque

5) vehementiores effectus exserere, ad telam cellulosam applicatum.

De Lactucarii usu medico.

In Germania Lactucarium, quod sciam in usum medicum nondum vocatum est, nec ego experimenta de ejus virtute medica instituendi occasionem nactus sum, quare pauca super hac re proferre, quae ex Anglorum scriptis desumsi, mihi liceat.

Primum de Lactucario exposuit Dr. Cox, quod opii loco adhibendum suasit, quoniam remedium esset acopum et somniferum admodum valens.

Exp. Duncan phthisicis exhibendum praecepit, quibus ob peculiarem idiosyncrasiam opium nec levamen afferet, et molestias crearet, vel et ubi expectandum videtur, id remedium, ab nimiam ipsius ex-

calfaciendi facultatem, stupefacturum esse, et capitis dolores excitaturum. Cujus viri sententiis permulti alii, iique praestantissimi medici subscripserunt.

Plura fortasse de Lactucarii usu medico in Pharmacopoea Edinburghensi Anni MDCCCXIX. exhibentur, quam ad manus mihi non fuisse, valdopere dolui. Primum fusius aliquanto in editione a MDCCXVII. et MDCCCXVIII. de Lactucario traditum est, usque adnotationibus diligentes usos esse videtur Exp. Thomson in edenda Pharmacopoea Londinensi; ex utriusque enim libri accurata comparatione plura in hac exhiberi clarissime elucescit.

Paucissima igitur sunt, quae de usu Lactucarii medico hucusque innotuerunt, unde certe, dignissimum id medicamentum videri, quod assiduo a medicis studio examinetur, facile intelligi potest. Videtur autem utilissimum esse, magnamque polliceri securitatem, ubicunque de inhibenda aegrotorum irritatione, neque de vehementiori quodam effectu narcotico agitur. Facile quoque medici usu et experientia edocti eo pervenient, ut indicationes hujus remedii dilucident.

Jam quod ad Lactucarii dosin, qua exhibeatur pertinet, in Pharmacopoea Londinensi ejus Dr. I ad Dr. VI sine noxa dari, traditum esse video. Equidem, tantum esse drachmae unius effectum, ut vehementior vix desiderari possit, expertus sum, neque omnino necessarium erit, tam largis dosibus uti, quod quidem ex peculiari uniuscujusque aegrotantis indole et aetate facile dijudicari potest. Adultis ut decem initio Lactucarii grana exhibeantur suaserim, facile

enim dosin ejusmodi augere licebit, si parum minores effecerint, nec ulla ex hoc adscendendi modo noxa extimenda erit.

Exp. Duncan tres Lactucarii formulas praescripsit, quas apponere jam liceat:

I. Tinctura Lactucarii.

Rec. Lactucarii Unc. unam
Alcoholis diluti Libr. unum
Digere per dies septem et cola per chartam.

II. Pilulae Lactucarii.

Rec. Lactucarii gr. duodecim
Pulv. radic. liquirit. Scr. duos
Ope syrupi fiant pilulae duodecim.

III. Trochisci Glycirrhyzae cum Lactucario.

Rec. Lactucarii Dr. duas
Tinctur. tolucferae Balsami Unc. sem.
Syrupi simplic. Unc. octo
Extracti Glycirrhyzae glabrae aqua calida molliti
Gummi mimosae pulv. ana Unc. quinque.

Primo, tere Lactucarium bene cum tinctura, dein paullatim admisce syrupum et Extractum, postea sensim insperge pulverem Gummi Mimosae et tandem exsicca, ut fiat massa in Trochicos fomanda, singulos grana decem pendentes.